

Quaestiones medicae duodecim : ab ... Francisco Chicoyneau [et al.] propositae ... pro regia cathedra vacante per abdicationem R. D. Joannis Astruc ... ; quas, ... propugnabit ... diebus 5. 6. & 7 mensis Decembris anni 1731. Antonius Fizes.

Contributors

Fizes, Antoine, 1689-1765.
Chicoyneau, François, 1672-1752.
Ecole de médecine de Montpellier.

Publication/Creation

Monspeli : Apud Joannem Martel, Universitatis Medicinae typographum, 1731.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/dkzh3atq>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

13 13

Q. F. F. F. Q. S.
QUÆSTIONES MEDICÆ
DUODECIM

A B

ILLUSTRISSIMIS VIRIS
R. D. FRANCISCO CHICOYNEAU
Cancellario Amplissimo, JOANNE BEZAC Decano
venerando, PETRO RIDEUX, ANTONIO
MAGNOL, HENRICO HAGUENOT, JACOBO
LAZERME, & GERARDO FITZ-GERALD, Regis
Confiliariis, Medicis, & Professoribus Meritissimis,

P R O P O S I T Æ


IN AULA EPISCOPALI MONSPELIENSIS
coram Illustrissimo ac Reverendissimo D. D. CAROLO
JOACHIMO COLBERT DE CROISSY,
Monspelienſium Episcopo, Cemite Melgorii & Montisfer-
randi, Marchione Marquerosæ, Barone Salvii, &c. Et Regi
à Confiliis secretioribus.

Pro Regiâ Cathedrâ vacante

Per Abdicationem R. D. JOANNIS ASTRUC, in Collegio
Regio Parisiensi Professoris Dignissimi.

*Quas, Deo favente & auspice Deiparâ, propugnabit in Augustissimo
Monspelienſi Apollinis Fano triduo integro, manè & serò, die-
bus 5. 6. & 7. mensis Decembris anni 1731.*

ANTONIUS FIZES, Monspelienſis D. M.



MONSPELII,
Apud JOANNEM MARTEL, Universitatis Medicinæ
Typographum. 1731.

**DEO
UNI ET TRINO.**

A C

**BEATÆ VIRGINI
DEIPARÆ**

D. D. D. C.

ANTONIUS FIZES.



QUÆSTIO PRIMA.

*An ad curandam puerorum Rachitidem Dieta
sit Enti Veneris præferenda ?*

*V. Journ. des
Scav. Juill.*

1733 p. 397.

AFFECTUS is, *Rachitidis* nomine insignitus à Neotericis, quem octoginta tantum ab hinc annis innotuisse in Angliâ ex *Glissonio* habemus, quemque novum prorsus morbum Auctores gravissimi pronuntiant, infantili ætati velut proprius, sequentibus designatur. Mutata est partium proportio ac figura, caput nimirum justo majus est, membra verò gracilia existunt; angustum pectus ac compressum à lateribus, cum apparentibus nodosis costarum extremis anticis, acutè prominet; spina dorsî sæpè inflexa est, indeque gibbi oriuntur variæ figuræ, quibus de causis thoracis cavitas plurimum oppidò cogitur; intumet à contentis visceribus abdomen; ossa ultrà modum extuberant in articulis; Recta ut Tibia, Fibula, Radius, Ulna inflectuntur; Curva ut Costæ corriguntur; brachia cruraque (potissimum autem crura) inflexa adeò conspiciuntur interdum, ut confracta primo intuitu putares. Sed & corpus afficitur macie dum facies existit habitior, sæpè tamen pallida; cutis flaccescit ubiquè, articulorumque compages debilior fit. Quàm invenusta, quàm molesta corporis conformatio!

Depravata ac irregularis durarum molliumque corporis partium nutritio morbi hujus essentiam ponit. Si enim partes nonnullas parcius, impensius alias nutriri concipiamus; cur caput in Rachitide majus, muscoli reliqui corporis marcidi ac graciles, cutis flaccida, cerebrum adauctum mole

sanumque tamen deprehendantur, haud difficile eruetur; ut & cur ossa tumeant, incurventur, corrigantur. Hinc & Rachitidem non ossium tantummodò, verùm & partium mollium morbum pronuntiabimus. Hinc vires corporis debiles in hoc morbo, animæ operationes vegetas fore inferemus. Ut & symptomata quàm plurima à virium debilitate, laxatoque partium tono deducemus.


Lympha serosa, cujus mucilago seroso vehiculo æquabiliter commixta non est, grumis duriusculis at exiguißimis foeta hujus depravatæ nutritionis causa, materiaque est. Lymphæ talis dyscrasia veneræ labis, aut scorbuticæ aut scrofulosæ comes, aut effectus esse potest; at & in alias causas excitatio ejus refunditur, quales sunt frigidus aër & humidus, alimenta aquosa, viscida, cruda, horæa, pultes farinosæ, fœtus, balnea, linimenta, potus nocturnus frigidus, abdominis refrigeratio, nutricis lac frigidum, serosum, effœtum. Hinc patet Rachitidem morbum esse peculiarem, nullibi vernaculum, in meridionalibus plagis minùs frequentem. Rarò invadit antè partum, licet à parentibus sæpè ducat originem. Ab anno primo ad tertium ætatis annum invadere solet; adultos nunquàm, puerulos interdùm aggreditur.

Cùm primùm partes vegetiores factæ indurari ac solidescere incipiunt, emendatur sæpè vitium Rachiticum, deleturque morbus spontè, aut saltem remittere incipit, quod ab anno ætatis quinto ad septimum fieri consuevit, sensimque deindè evanescit morbus; at vires nonnumquàm acquirit eundo, misellus ægrotans sensim contabescit, febre consumitur hecticâ; aut hydrocephalo, aliove hydrope, aut pectoris suppuratione de medio tollitur. Qui adolevere Rachitici, valetudinarii semper sunt, nani saltem & homunciones. Ut sanetur Rachitis, lymphæ tenuis, actuosæque in ductus totius corporis minimos, in quibus tantùm nutritio fit, vegetè introducenda ac æquabiliter, sic enim expandentur ubique vascula hæc, relaxans dissipabitur serum, ac in debitam firmamque molem increscet corpus. Quod fit modò spontè, dùm accretionis nimirùm vi firman-
tur aliquantùm in infantiâ partes, fluidisque vis major impri-

5

mitur; modò diætæ ministerio dùm alimentis pascitur infans eupeptis, siccis, non pinguibus nec viscosis, aromatibus aliquantùm acuat, copiâ moderatâ exhibitis; aëri exponitur sicco, calidiusculo; corpus ejus exagitur gestatione succutiente, frictione calidâ & siccâ; modò medicaminum operâ, qualia sunt purgantia identidem exhibita, roborantia, attenuantia, inter quæ ut specificum à Boyleo commendatur *Enti Veneris*, quod quidem partibus ammoniacalibus tenuioribus, cupreis aliquibus adjunctis, quibus constat, lymphæ mucilaginem glutinosiorem atterere ac expandere potest, tùm serum ejus exuberans per vias urinæ aut perspirationis eliminare, ità ut lymphæ tenuis fiat actuosaque, qualis ad curandam Rachitidem desideratur. Cùm verò vitium lymphæ Rachiticum contumax admodùm sit, & in ultimis corporis vasis ubique, etiam in ossibus, impactum, medicamento ullo vix emendari potest; quare renovanda potiùs sensim ac successu temporis lymphâ, quæ tandèm laudabilis ubique fiat, id autem præstat Diætæ.

Ergò ad curandam puerorum Rachitidem Diætæ Enti Veneris præferenda est.



QUÆSTIO SECUNDA.

An ad curandam Catalepsim subitanea egrotantium in aquam frigidam immersio emeticis sit antepponenda?



Catalepsis, Catoche quamplurimis, Latinis Congelatio, est subita sensuum exercitii, motûsque voluntarii cessatio, absque sitûs partium, in morbi invasione, præsentis mutatione ullâ, cùm obsequio tamen in eis situs concipiendi quosvis possibiles ab adstantibus imprimendos. Catalepticus namque velut

Phinæus alter, immobilis perstat, nec sentit, respirat tamen ferè ut sanus, pulsusque habet potiùs lentum quàm concitatum. Cùm erigitur ab adstantibus, pedibus ut statua, quin & si debitè collocetur, altero tantùm pede insistit, verbo, pro arbitrio adstantium infinitas concipit figuras, soluto nisi morbo aut vi aliquâ externâ, nunquàm mutandas.

Morbus hic stupendus profectò ac rarus Monspeli non semel observatus est. Vir illustrissimus D. *Michaël - Amatus Chicoyneau*, hujus Lycæi olim Cancellarius dignissimus, cujus Profapia Medicinam adeò illustrat, duos vidit in hâc urbe ægros hujusmodi, alterum perfectâ, imperfectâ alterum laborantem Catalepsi. Nos tres vidimus Catalepticos, primum quidem in Nosocomio, quem curabat D. *Deydier* hujus Universitatis Professor dignissimus, sexaginta circiter annos natum; huic ægro maxilla inferior convulsa obriguit, undè epilepsiam conjunctam Catalepsi judicavimus; tùm puellam viginti aliquot annos natam propè Palatium degentem, cui auxilium præstabat D. *Astruc* hujus tunc Universitatis Professor Clarissimus. Virum tandem alium quinquaginta circiter annos natum juxtâ Templum Sanctæ Annæ decumbentem in decursu febris malignæ factum perfectè Catalepticum curare mihi contigit. Hujus membra non adeò videbantur obsequiosa, ut perhibent, paululùm autem rigida erant, ità tamen ut convulsa dici nequirent, cùm vi aliquâ impressâ cederent, flecterentur, extenderentur, variasque pro meo lubitu posituras susciperent.

Patet ex sensuum omnium cessatione exercitii in hoc morbo subitâ, sensorium commune esse graviter affectum, ex motûs autem muscularis energiâ sive permanente spontè, sive suscitâtâ ab adstantibus, fluido proprio non carere nervos, ac proinde fluido illo exhaustam non esse scaturiginem. Quamobrem fluidi nervei secretio sufficiens, hujus ad extremos nervos propulsio, cum sensorii communis fibrarum vibratilitate impossibili, hujus morbi essentiam constituit. Quæ fient cùm cerebri substantia cinerea ferè sana extiterit, alba verò in tono labefactata plurimùm, nervosumque deinceps systema fermè inculpa-


rum. Hæc autem cum raro simul conjungantur, Catalepsis & quoque frequens non est.

Antecedentes hujus morbi causæ sunt temperamentum melancholicum, ad fatuitatem propensio, summæ curæ, magnæ animi contentiones, alimenta cachochyma, febris quartana diuturna, febris maligna, ac similes.

Perfecta Catalepsis lethalis esse solet. Imperfecta sanatur interdum, interdum recurrit per periodos. Catalepsi Epilepsia interdum adjungitur, succedit nonnumquam.

Ad curandam Catalepsim, facilis, repentinus, ac incitatus per totam cerebri molem fluidorum transfluxus procuretur, quò nimirum fluidum nerveum uberius ac impetuosius propulsum tensionem subitam cerebri vasculis medullaribus conciliet, tensioque æquabilis à finibus Carotidum ad nervorum extrema diffundatur, ut functiones animales reviviscere queant. Scopo huic favet immersio subita Cataleptici in aquam frigidam, hinc enim subito crispantur villi cutanei, totum contremiscit systema nerveum, fluida omnia expeditius fluunt, ulteriusque tenditur medullaris cerebri substantia. Accedit insuper Tetanum eo modo solvi ex testimonio divini senis, Anglosque hæc aut simili operâ plures morbos graves curare. Verum expetita ad solutionem Catalepticos certius excitat Emeticum, præter enim succussionem vividam, quam in nerveo systemate imprimit, Catalepticos foventem causam in primis viis sæpè hospitantem & sanguinem inspissantem protinus eliminat, tum massam sanguineam aliquantum subiens attenuationem ejus promovet. Prætereà si per accessus reditura sit Catalepsis, emetico præparatur æger, ut juxta prælaudati illustrissimi Viri D. *Chicoyneau* observationem ac consilium, ad integram morbi sanationem peruvianus Cortex exhiberi queat.

Ergò ad curandam Catalepsim subitanea agrotantium in aquam frigidam immersio Emeticis non est anteponenda.



QUÆSTIO TERTIA.

*DE Causis Februm, tùm continuarum, tùm intermitten-
tium, & de ipsarum curatione.*

Febbris ità dicta à verbo Sabino *Februo*, quod idem sonat ac *Depuro*, per frequentiam pulsus cum notabili functionum læsione determinatur. Cujus causa Cordis est frequentior contractio. Hæc autem toties excitatur, quoties cujuscumque stimuli in quacumque parte corporis agentis vi nervosum systema ulteriùs tenditur, omnesque partes corporis elasticæ ad celerius vibrandum proritantur. Sed & absque stimulo ex immutatâ tantùm in fluidis per vasa minima meandi ratione producitur Febris. In eam namque sanguinem vasa minima difficilè permeare hodiè receptum est; id saltem ostendunt horripilationes, dolores obscuri vel acuti in partibus, tumores inflammatorii sæpiùs excitati, Hæmorrhagiæ, aliaque febrilia symptomata. Permeat intereà sanguis, cùm partes vitæ vivant, arteriolæ igitur nonnullæ transmittunt, dùm reliquæ obstructæ sunt. Ex arteriolis verò lymphaticis aliæ magis, minùs aliæ obstipatæ sunt, aliæ forsan nullatenùs, prout nimirum in statu partis phlogistico aliæ magis, aliæ minùs, neutiquam aliæ sanguinis globulos partesque fibrosas admiserunt; universim tamen arteriolis sanguineis ut potè arctiores, minùsque validæ obstructionem plures patiuntur. Sanguis ergò, qui per sanitatem sub formâ duplici rubri nimirum & serosi fluidi ab arteriolis sanguineis in venas confluit, partim nimirum per continuos sanguiductus, partim per protractos ab arteriis ad venas ductus lymphaticos, jam per arteriolas nonnullas sanguineas pluresque adhuc lymphaticas à transitu libero arcetur. Cùm intereà vigeant cordis arteriarumque

vires

vires trufiles, quin & ex refiftentiâ in memoratis arterioliſ ſanguineis & lymphaticis obſtructis plurimùmque tenſis ſubortâ intendantur, ſanguinem ad venas per pauciores ductus ac antea trudendum fore conſequens eſt; truditur autem, ut oſtendit vita partis, quare fluenti celeritate commeatûs momentum compenſari tantùm poteſt; creſcit ergò celeritas tranſitûs Sanguinis ad venas, & quidem in ea ratione, quâ creſcit ratio amplitudinis totalis arteriarum liberè ſuppeditantium ad amplitudinem totalem ductuum minimorum in venas tranſvehentium (per decrementum ſcilicet, quod ejus fit amplitudinis in parte obſtructâ) ut patet ex Hydraulicis.

Creſcit & aliam ob cauſam ſanguinis celeritas, quòd nimirum tunc fermè totus ſub fluidi rubri formâ in venas tranſmittatur, vix autem ſub formâ lymphæ ob obſtructas cunctas fermè arteriolas lymphaticas; eâ igitur de cauſâ ſanguinis portio inſolitè celerius in venas influet.

Jam verò eadem ſanguinis moles per arterias liberas ad partem obſtructam appellit, uti priùs dùm ſana erat, ob remanentem eandem earum amplitudinem, vigentesque ex hypotheſi cordis & arteriarum vires; uberior autem ſolito per ſanguiductus fluidi copia, & quidem celerius, ut jam probatum eſt, in venas trajicitur. Hinc citatior ad cor ſanguinis reditus; cor ergò in dato tempore pluriès dilatatur, ac pluriès ad ſyſtolem ſtimulatur, contrahiturque, hinc pulſûs frequentia.

Creſcit interea in arteriis, venis & corde ſanguinis moles, & eâ quidem quantitate, quâ ſanguinis arterioſi portio lymphatica à fluxu per arterias lymphaticas obſtructas libero prohibetur, hinc cor & arteriæ ſanguine magis turgent, hinc pulſus deinceps ſolito amplior.

Sed ex dilatatione hâc ulteriori tenduntur magis cor & arteriæ, ad contractionem magis proritantur, hinc cordis arteriarumque vires trufivæ vehementiores, quibus quidem adaugetur plurimùm motûs progreſſivi & inteſtini ſanguinis momentum, unde pulſus frequentior adhuc, validior, magis plenus, hinc Febris intenditur.

S C H O L I U M.

Ut in statu fluidorum febrili obstruuntur arteriæ lymphaticæ, ita & eâdem ratione obstipantur ductus secretorii plures. Succedunt autem ex obstructis ita subito ductibus secretoriis, & sanè easdem ob rationes mechanicas, quæ in sanguinis circuitu ex obstructis subito arteriis lymphaticis supervenire jam demonstratum est, sanguinis celerior ad venas transitus, moles ejus adaucta in sanguiferis, reditus ad cor celerior, Febris.

C O R O L L A R I U M.

In Febre fluidorum universa fermè moles per vasa sanguinea transcurrit, his autem defraudantur aliquantùm vasa lymphatica, tum & secretoria; plurimùm laborant sanguifera, reliqua vasa velut otiantur. Hinc quamplurima arescunt colatoria. Nec fit nutritio. Nec fibris minimis conciliatur tonus. Undè quamplurimorum symptomatum productio, ac explicatio.


Causæ Febris remotæ innumeræ sunt, præter enim res necessario afficientes, quæ sub rerum sex nonnaturalium titulo comprehendendi solent, dantur & fortuitæ, ut sunt balnæa, unctiones, compressiones, acria ingesta vel applicata, pus, ichor. Quæ quidem causæ omnes vel vices agendo stimuli, vel sanguinis cursum per vasa minima difficilem protinùs efficiendo Febri excitandæ ansam præbent.

Cùm in Febre intendantur vires cordis & arteriarum, hæc spectari potest ut naturæ molimen ad discutiendum in vasis minimis hærens obstaculum. His ergò viribus vividè pellitur fluidum sanguineum, atteritur, subigitur, sic ut tandem fluxilius factum arteriolas quasque liberè pervadat, serumque in quovis ductus secretorios dimittat; tum quod ejus superfluum est, nec aliàs emendabile, per vias, aut alvinas, aut cutaneas, aut renales, aut salivales, aliasve è corpore, ut nocivum excernatur. Ità sanè tollitur Febris. Ita Crisium doctrina clara fit.

Si ergò materia glutinosa obstruens discutiatur penitus, nec iterùm gignatur, Febris judicata est, fuitque *Continua*; si verò

statis aut incertis periodis recrudescat, redit Febris, ac *Intermittentis* nomine insignitur.

Etiamsi naturæ solo molimine plures sanentur Febres, hæc tamen in suo opere juvanda sæpè, ne succumbat; hoc est ne dilatata ultramodùm vasa sanguifera penitus fatiscant, neve obstruantur adeò aut lacerentur in parte aliquâ principe, ut tandem sanguinis circuitus sufflaminetur. Mittendus ergò sanguis quantocyùs, & quidèm uberiùs vel parciùs pro naturâ Febris, symptomatum, virium, partis magis laborantis. Sanguinis missio tantò magis in Febre proficua est, quò superfluum de repente tollit fluidorum, quo gravabantur sanguifera. Tùm causæ fovendi tollendæ intendendum, quæ cùm sæpiùs in primis viis niduletur, succurrendum sæpè Emeticis, ferè semper catharticis; id autèm præstantius habet alvina purgatio, quòd non tantùm eâ intestinorum saburra ejiciatur, verùm & per intestinale colatorium materie viscidæ febrilis copia magna è sanguine eliminetur. Venæ sectio & purgatio generalia remedia Februm audiunt. At deinceps febrilia symptomata quamplurima, appropriata remedia exigunt, quæ recensere hic locus non datur. Id tantùm pro coronide addemus in Febris intermittentibus curandis, præmissis universalibus, adhiberi solere medicamina, quæ febrifugorum nomine per excellentiam insignita fuere, inter quæ præstant cæteris Peruvianus Cortex, & Cascarilla.



QUÆSTIO QUARTA.

An Pleuritidi Venæ sectio sæpiùs repetita?

QUæ de febre in traditâ proximè Dissertatiunculâ præfata fuere, haud parùm lucis ad cognoscendam penitiùs Pleuritidis naturam allatura fore speramus. Si enim emissitiis oculis ad naturæ opera collimemus, remque introspeciamus, Pleuritidem loco affecto tantùm denominari animadvertemus, cùm de cætero

vascula minima eodem ferè modo sese in hoc morbo habeant, ac in febre se habere diximas. Et quidèm Pleuritis Pleuræ inflammatio est; cujus effectus sunt, febris acuta, respirandi difficultas, dolor pectoris punctorius, tussis molestissima. Cum unà sputum ejicitur, quod interdùm cruentum, Pleuritis *Humida*, secùs *Sicca* nuncupatur. Datur & Pleuritis alia febris sputoque cruento expers, quam *Spuriam* dixere, cujus sedes in musciculos partibus thoracis, aut periosteo costarum faciem externam succingente.

Cùm inflammata est Pleura, sanguis per arteriolas ejus nonnullas vix meat, per reliquas citissimè; lymphatica ejus pars ab arteriolis lymphaticis quæ arcetur, per sanguiductus insolitè fluens citiùs quàm antea provolvitur, hinc febris, tantòque acutior, quòd Pleuræ textus nervosus est plurimùm ac tensus, undè succussiones vasculorum & fibrarum in fluida admodum correptæ. Pulsus durus est ac tensus, tùm ob sanguinis compacti indolem, tùm ob tensionem spasmatòdem systemati nerveo ubiquè communicatam. Dolor acutus à summè tensis Pleuræ fibrillis, respirandi difficultas ab eis dolorificè thoracis motu distractis nec faciliè cedentibus repetantur. Quæ omnia fieri non possunt absque aliquâ saltem pulmonum phlogòsi, ex quâ augetur respirandi difficultas, tussis oritur ob dolorem molestissima, ac interdùm, cùm rupta fuerint in eis sanguifera, sputum cruentum. Pleuriticorum sanguis spissus ita esse solet, ut in patellis effusus gelatinam repræsentet glutinosam. Quàm obstinatus à tali sanguine infarctus inflammatorius! Tenacitatem ejusmodi ex dissipato per febrilem æstum sero ne repetas, contrarium enim suadeant febres ardentes quamplurimæ. Impeditus feri sanguinis gelatinosi in arterias lymphaticas transitus, in quibus quidèm magis quàm in sanguiferis elaboratur, attenuatàque lymphæ mucilago, solutionem phœnomeni exhibet.

Terminatur Pleuritis aut sanatione perfectâ (quæ procuratur semper per resolutionem) aut morte, aut suppuratione.

Pleuritis & peripneumonia sæpissimè afficiunt simul, tùm ob causæ hosce morbos producendæ indolem, tùm ob viciniam officiumque partium in eis affectarum.


Causæ

Causæ Pleuritidis remotæ, sunt quæcumque acutam febrem, aut inflammationem excitare valent. Frequentior tamen magisque specifica frigus est, cum æstuat corpus, quovis modo susceptum.

Duplici pacto solvi posse artis operâ Pleuriticam inflammationem concipi potest, aut attenuando sanguinem fluxilioremque efficiendo, simulque vasa ad vehementiores pulsiones incitando, quæ fluidum impactum disjiciant; id præstant imprimis sudorifica; aut fluidorum portionis subtractione resistantiam eorum protinus minuendo, ut exin non turgentia adeò vascula liberiùs restituantur, ac fluidum impactum attenuent, discutiantque. Modus prior periculi plenus est, fluidum siquidem inflammans plurimùm tenax est in Pleuritide, ac rarefcentiæ summæ capax absque attenuatione, undè vasa nequicquàm moveri, quin è contrâ distendi ulteriùs ac infarciri, quin imò duci ad crepaturam contingit. Cumque vasa pulmonum semper malè se habeant in Pleuritide, ut antea dictum fuit, eâque cæteris corporis vasculis diastole magis extensâ portiantur, ad ingurgitationem subitam vehementemque cæteris procliviora sunt, ex quâ peripneumonia funesta subsequutura sit. Modus itaque prior seligendus est, mittendus nimirum sanguis, & quidem in principio morbi, cum nimirum vasa sanguifera ultrâ modum infarctu inflammatorio nec laborant, nec arteriæ lymphaticæ globulosâ rubrâ fibrosâque sanguinis parte penitus obstipatæ sunt. Si enim vi morbi, aut curantium neglectu res aliter se habuerint, fluidum inflammans est irresolubile, ægerque aut fata subit, aut suppuratur. Verùm rependa sæpius venæ sectio, nam ob febrim inflammatoriam fluidis turgent admodum sanguifera, summæque laborant; prætereà fluida valdè tenacia in Pleuritide adeò rarescunt, ut post plures sanguinis missiones vasa æquè plena ex pulsu percipiantur, nec onere sublevata. Sublevanda tamen & citò, ob enim partium affectarum in Pleuritide, aut ex eâ afficiendarum præstantiam periculum imminet in morâ. Quamobrem in principio Pleuritidis sanguis mittendus protinus ac sæpè, hinc verò pro ferociâ morbi, ægrique viribus, plus minùs iteranda, quò

tandem solvatur per resolutionem, ut decet, Pleuritis.

Ergò Pleuritidi Vena sectio sæpius repetita.



QUÆSTIO QUINTA.

An in Morbis Chronicis febris eorum comes plùs agrotanti proficiat quàm noceat?



Ecdùm à febris discedere licet, ad lentas ducit nos proposita Quæstio. Nec enim comites alias sibi adiscere possunt morbi Chronici: Si enim acutæ cum eis quandòque observantur, accidentales ac fortuitæ potiùsquàm comites censendæ. Sed & lentæ eorum adeò comites sunt, ut essentiam morbi Chronici sæpius constituere deprehendantur.

Qui diù & cum periculo protrahuntur morbi, *Chronici* audiunt apud Medicos. Horum alii febre stipati sunt, alii neutiquàm. Causa morborum Chronicorum labes solidis fluidisque pernitiem paulatim inferens. Labes hæc motibus vitæ principibus vim protinùs non infert. Subsistit ergò per tempus notabile in morbis Chronicis sanguinis circulatio satis sana, sed quæ ex depravatâ fluidorum aliorum in propriis orbibus periodo temporis successu obruenda sit, nisi emendentur vitia. Vitia ergò hæc extrà sanguiductus quærenda, in lymphaticorum ac secretoriorum vasculorum systemate potissimùm se manifestant. Attendas paulisper morbis Chronicis. Protinùs se sistunt obstructions viscerum, serosæ diluvies, Skirri, Cancri, Caries, Atrophix, Paralyfes.


Sed & febris Chronicorum morborum comes, ipsamet morbus Chronicus est, cujus ergò causa fluidorum ac solidorum ruinæ sensim ansam præbens, nec circulationi sanguinis citò sufflaminandæ par, extra sanguiferos ductus quærenda erit. Hanc

autem ex obstructione neuro-lymphaticorum repetimus. Nullibi lentius fluunt humores quàm in neuro-lymphaticis. Si ergò per quamplurima ex his lympham non transfluere contigerit, exclusam lymphaticam eam molem, per vasa alia quaecumque tùm sanguinea tùm lymphatica valvulosa celerius devolvendam fore consequitur, hinc celerior solito sanguinis periodus, proindeque febris; quæ tamen minimè acuta erit, quòd per arterias sanguineas ac lymphaticas sat expeditus sit fluidorum transitus. Progreditur intereà sanguis velocius, nec derivationes fluidorum in vasa secretoria debite peraguntur, hinc læsiones functionum ubiquè, ac præprimis in organis digestionis alimentorum peragenda destinatis, undè pravæ chylôses, vitiorumque sanguinis incrementum. Prætereà neuro-lymphatica, cùm non admittant lympham tenuem, arescunt defectu humidi, nec nutriuntur partes, nec fibræ minimis conciliatur tonus, nec proinde compositis; hinc fractæ ubiquè vires, functionum languor, principii vitalis debilitas, augmentum vitii morbum Chronicum efficientis, tandemque ruina universa.

In quo igitur proficua futura est febris morbi Chronici comes? Numnè materiam spissam lymphaticis impactam, serosamve nervis infusam Chronicorum morborum sæpè causas agitabit, atteretque interdum ac discutiet? At febres lentæ radicum ulterius vitium supponunt, in neuro-lymphaticis nimirum hospitant. Licet ergò febris talismodi molimine nonnullæ referantur obstructions, serumve exundans aliquod nervosque relaxans discuteretur (quæ tamen eâ ope fieri rarò consuevere) æger nihilosecius malè semper se haberet, laboraret enim febre lentâ.

Ergò in morbis Chronicis febris eorum comes plùs nocet agrotanti quàm proficit.





QUÆSTIO SEXTA.

An Hæmorroïdibus inveteratis Operatio chirurgica?

Sanguinei tumores sacciformes, quibus anus interior, exteriorve obsidetur sæpè, queisque sanguinem fundere solitum satis est, in foro medico Hæmorroïdes nuncupantur. Eos è compage venularum hæmorroïdaliū varicosā emergere monet perpenſa ipſorum indoles. Venularum harumce in partis textu molli, pingui, rugoſo, inerte poſitio, illarum à fæcibus alvinis frequens affrictus, ac ſedendo compreſſio, ſanguinis per eas regreſſus verticalis, ex ſecretione lymphæ, muci, ac pinguedinis in ano ſat ubere vehiculi in earum ſanguine penuria, cur venulæ illæ ſanguine præ aliis quamplurimis graventur, & facile adeò in varices explicari poſſint, apertè demonſtrant. Quamobrem ſi acceſſerint equitatio dura ac protracta, vita ſedentaria, contentiones animi nimix, conſtitutio atrabilaris aut plethorica, excandefcentiæ ſanguinis, excrementorum durities, tenemus, graviditas, partus difficilis, illas venulas haud magno labore in varices frequenter dilatandas fore conſequitur. Quæ cùm in ani margine tumores repræſentant, externas Hæmorroïdes, cùm in inteltino recto deliteſcunt, internas conſtituunt. Hæmorroïdes utræque in fluentes ac cæcas diſtingui ſolent, prout ſcilicet ſanguis aut mucus ſubcruentus ab his manat, vel neutiquàm. Sed & hæmorroïdibus externis, à figurâ ac magnitudine, varia impoſita fuere nomina, quæ nunc referre neceſſe non eſt. Plurimùm autem ſcire intereſt Hæmorroïdes alias inflammatas eſſe, inflammationis alias expertes. Poſteriores ſacci ſunt varicoſi tantùmmodò, per quos tamen meat ſanguis venoſus licèt tardigradè. Quæ verò inflammatae ſunt, fluentum

fluentum sanguinis per arterias minimas præpeditum & esse significant. Quod contingit aut cum sacci varicosi sanguine prætermodum tument, nec sanguinem transmittunt, aut cum partis textus à tumente nimis durâque Hæmorroïde comprimitur adeò, ut strangulentur arteriolæ. Hæmorroïdes inflammationis expertes, nec dolent, nec æstuant, nec duræ sunt, rumpuntur interdum & quidem in excretionem alvinâ, sanguinemque fundunt, nunc perstant integræ, nec sanguinis quicquam ab eis manat. Acutè dolent inflammatae Hæmorroïdes, æstuant, tensæ sunt ac duræ, ut plurimum sanguinem non eructant, at cruentus ichor ac foetidus sæpè transudat ab eis. Hæmorroïdum damna præcipua sunt hæmorrhagia impensior, ac inflammatio. Ab impensiori hæmorrhagiâ virium debilitas, Cachectia, Hydrops; ab inflammatione febris acuta, pervigilium, aliaque doloris intensi consecutaria, tum & abscessus, fistulæ, gangrænæ, progerminant. Cum inveteratae sunt Hæmorroïdes, sæpiusque ingurgitatae fuere, textus partis plurimum immutatus est, vascula exin quæquæ obstructa sunt, lymphæque nutritiæ progressus in nevro-lymphaticis cohibitus, hinc indurata pars, callosaque, hinc fistularum aut carcinomatum productioni frequens datur locus. Vel & induratis Hemorroïdibus sanguinis traductio in venas perægrè fit adeò, ut, cum inceperit hæmorrhagia, sisti vix quead. Ad præcavendos itaque, qui ab Hæmorroïdibus inveteratis impendent, fonticos eos affectus, eæ à parte sanâ ferro excindendæ sunt; nec enim ab emollientibus aut solventibus topicis quicquam hinc expectes emolumenti; à corrosivis dolores, inflammationes, funesta time.

Ergò Hemorroïdibus inveteratis Operatio chirurgica.





QUÆSTIO SEPTIMA.

An Erysipelati, cui supervenit putredo & suppuratio, Cathartica & suppurantia convenient.?




Erysipelas tumor est inflammatorius, diffusus, nec fastigiatus, nec renitens, cujus calor valdè ardens, dolor acer, ruborque roseus. Hujus cōtinens causa sanguis est in arteriis extremis hærens, in arteriisque lymphaticis aliquantùm impactus, tùm arteriarum actione plurimùm succussus, nec tamen spissus adeò viscidusque ac in phlegmone strictè sumptâ. Terminatur diversimodè Erysipelas, resolutione nimirùm, aut gangrænâ, aut induratione, aut suppuratione. Et quidem cùm vascula integritatem servarunt, impactoque fluido dehinc attenuato diluto ad meandum facilitas conciliata est, per *resolutionem* discutitur Erysipelas. Cùm verò vasa ferè omnia infarctum tantum patiuntur, ut suffocetur in eis se restituendi vis, nec tamen crepuere; vel cùm maximâ parte rupta sunt, remanentibus tamen integris nonnullis, quibus vitæ scintilla parti vix imperiatur, Erysipelas in *Gangranam* tunc abiit. Si verò infarctus erysipelatodis vi fibra sanguinis in lymphatica nimis adacta compingatur, tùm verò resolvatur tantùm in arteriis sanguineis fluidum inflammans, *indurata* pars remanet. Postremò cùm vascula nonnulla, sanguinea præprimis, inflammationis vi disrupta fuere, quamplurima inflammata tamen integritatem servarunt, suppuratur Erysipelas. In vasculis enim ruptis inertibus prorsus ac extinctis cruor lentescit vitâ orbis puris materia proxima, in integris verò inflammatis pulsio adest vehementior, vasa rupta comprimens, succutiens, cruorem in eis conclusum subigens, modo inassueto commiscens ac in puru-

lentum liquamen vertens. Quæ omnia juxta leges Mechanicæ in Dissertatione nostrâ de *suppuratione* pluribus ab hinc annis enucleata fuere.

Externæ Causæ Erysipelatis sunt compressiones, distorsiones, acrium actio, percussivorum applicatio intempestiva, ac similes quibus inhibetur subito sanguinis in parte tranfluxus. Internæ Causæ sunt humorum acrium, puris, ichoris variæ Metastases, sæpiùs autem succi pravi affluentes è primis viis (qui *Putredinis* nomine apud Præcticos insigniri solent) quibus quidem inspissatur acriorque fit sanguis, ac in aliquâ parte protinùs cohibetur, pronus ad excandescendum.

Si ergò suppuranti Erysipelati supervenerit putredo (quæ quidem per febrem putridam ut plurimùm declaratur) nequicquàm applicabuntur ei Topica; nî enim pravi succi morbi fomites eradicentur, perque purgationem alvinam eliminentur, subsistet semper infarctus erysipelatodes, quin & suppuratio præfocari poterit accedente Gangræna. Iis verò Catharticum medicaminum ope eliminatis sanguis fluxilitatem magis concipit, quâ debitè motum suppuratorium postea dirigat. Is tamen motus inchoatus à natura Topicis juvandus est, quæ particulis tenuibus, duris, penetrantibus sanguinem actuosum in parte suppurante servant, vascula modicè stimulent, purulentum liquamen aliquatenùs solvant, expeditiusque ad fluendum è vasis ruptis efficiant, simulque particulis aliis mollibus prioribus sociatis, textum partis suppurantis molliorem, & ad motus suppurationis mechanicos æquabilius concipiendos magis obsequiosum efficiant. Quæ quidem medicamina, cùm juvent motus, quibus perficitur suppuratio, *suppurantia* propterea nuncupata fuere. Sic ergò suppuratorio opere laudabili vasa rupta fluidis mortuis liquaminis purulenti formam adeptis liberabuntur, inanientur, ac vicinâ pressione in fibras abibunt solidas, integra verò soluto infarctu inflammatorio sana fient, extendentur in carnes, optatò succedet cicatrix, suppuratum sanabitur Erysipelas.

Ergò Erysipelati cui superveniunt putredo & suppuratio, Cathartica & suppurantia conveniunt.



QUÆSTIO OCTAVA.

An vulneribus Capitis cum fracturâ Trepanum?



Cerebrum sepimento osseo ac membraneo multiplici, undiquè licet obvallatum ab incurfibus causarum externarum immune non est. Vulnerari integumenta, frangi ossa, impressamque vim ruinam intentare cerebro contingit.


Vulnus est partium mollium continui solutio cruenta; Fractura verò continuitatis solutio in osse cum notabilibus fragmentis. Harumce continui solutionum causæ corpora secantia sunt, aut contundentia, sive in partes nostras infensè aut fortuito adigantur, sive in ipsa partes nostræ casu quocumque impetant.

Vulnerum capitis cum fractura effectus hi præcipuè sunt, vulnerati prostratio repentina velut inanimati, oris, narium, aurium hæmorrhagia, nausea, vomitus, sopor, febris. Quæ omnia succussi, compressi, infarcti cerebri consecutaria sunt. Tùm verò si res ultrà processerint, nec feratur auxilium, subsequitur vel infarctus inflammatorius meningum cerebrique immanis, quo æger citò de medio tollitur, aut suppuratio sæpiùs funesta.

Ferendum ergò in procinctu vulnerato auxilium & quidem efficaci medicinâ. Antequàm instituatur tamen operatio, inquirendum an reapse fractum sit cranium. Quod detegitur. 1°. Consideratis effectibus vulneris jamjà recensitis, omnibusque spectantibus ad ictum inflictum circumstantiis. 2°. Visu, tactu digiti ope aut specilli. 3°. Ac præprimis, incis, ut decet, tegumentis, denudatum explorando cranium. Quocircà cùm deprehenditur fissura, ossive in frustra divisio, exhibenturque casus *Rogmatis*, *Entlaseos*, *Ecpiesmatis*, *Engissomatis*, aut *Camaro-seos*, terebrandum ex arte confestim cranium; ablata namque, à durâ meninge cohærente, portione ossis orbiculari, obtine-
tur

tur foramen, per quod duræ meningis motu oscillatorio in denudatâ parte, sanguis effusus excluditur, tùm ossis, si quæ sint, partes detrusæ chirurgicis instrumentis elevantur, & ad debitam libellam componuntur. Ità liberantur cerebrum duraque meninx à comprimmentibus ossibus depressis, intrusis, sanguineve effuso; sic sanguinea precavetur ingurgitatio partibus his funesta; juvante intereâ operam chirurgicam diætâ tenuissimâ, liberalique sanguinis è brachio taloque imperatâ à medico sanguinis missione. Partibusque debite compositis superveniente callo, restituitur sanitas.

Ergò vulneribus Capitis cum fractura Trepanum.



QUÆSTIO NONA.

An in passione Iliacâ pars intestini superior quandòque inferiorem subeat, vel vice-versâ; & inde sequatur antiperistalticus seu inversus intestinorum motus?

INter causas quamplures, quæ intestinalis fistulæ cavum angustare, ac passioni Iliacæ ansam præbere valent, recensendus sanè intestini subingressus. Quem quidem infrequentem non esse autumandum, si fides haud denegetur clarissimis observatoribus. Quos inter *Ruischium* de intestini susceptione *Thesaur.* 10. ita loquentem audiamus, *Dictus affectus adeò familiaris, ut non solum quatuor quinqueve locis in uno eodemque cadavere cum filio reperim; verùm etiam in pluribus cadaveribus offenderim, cùm mihi data sit occasio plurima cadavera aperiendi; imò tria memini nos successivè cultro anatomico subjecisse cadavera, in quibus hunc invenimus affectum, ità ut pluriès hoc contingere mihi persuadeam, quàm quidem hætenùs creditum fuit.*

Utrùm autem in tali subingressu intestini superior pars inferiorem subeat, inferiorve superiorem, quæritur. Nos antequam quæstioni faciamus satis, animadvertemus, ne qua irrepat

æquivocatio, Auctores majori parte intestini partem *superiorem* vocare consueville, quæ antecedit (à motûs materierum intrâ intestina devolutarum serie naturali sumptâ denominatione) *inferiorem* verò, quæ subsequitur; licet ob intestinorum volumina eveniat antecedentem intestini partem fieri nunc *superiorem*, *inferiorem* nunc; licet quoque per decubitum ægri horizontalem, situs ille superior aut inferior intestinalis fistulæ portionum respectivus vix locum habeat.

Jàm observatores consulamus. Cl. *Sylvius* susceptionis intestini modum utrumque se pluriès observasse satis innuit. *Quandam Volvulo denatam* cujus superior intestini pars in inferiorem insee-
rebatur, se dissecuisse refert *Plempius*. Sequenti observatione *Peyerus* partem intestini inferiorem superiorem subiisse significat, patefacto, inquit, abdomine *Ileon* alicubi planè constrictum ac velut injecto laqueo strangulatum vidimus, nimirum ejus portio quatuor transversos digitos longa, plurimum contracta & angustata intrâ proximè superioris cavitatem abscondita prorsùs latebat. *Ruifchius* portionem intestini (*Ilei*) quæ in subsequentem portionem sese insinuat, in Thesauro 4. exhibet. Jàm verò *Blasius* utriusque modi exemplum in uno eodemque subjecto his verbis affert; Imò etiam in puero 14. annorum eam (*Ilei* intûsusceptionem) annotare licuit & quidem duplicem, si uno loco pars intestini inferior se inseruerit in superiorem, altero pars superior in inferiorem. Quid plura? *Fabritius Hildanus* in pueri cujusdam passione *Iliacâ* extincti cadavere, *intestinum Cecum contractum in intestinum Ileum* ita se insinuasse, idque opplevisse, ut nihil ex superioribus intestinis ad Colon permeare posset, se invenisse memoriæ prodidit. Ex his omnibus, aliisque, quas ex variis Auctoribus afferre potuissemus adhuc, observationibus, in passione *Iliacâ* partem intestini superiorem inferiorem quandòque subire, & vice-versâ inferiorem subingredi interdum superiorem, satis abundè liquet.

Porro ex intestini susceptione materierum regressus necessariò haud subsequitur; cum ob inflammationem aut gangrænam intestini juxtâ subingressum, iners intestinalis fistula, otiosaque nihil prorsùs moliatur. In tali rerum angustia ægri cruciatibus horrendis divexati, nec quicquam per superiora inferiorave rejicientes miserè intereunt, cum abdomine plurimum tumente.

At verò cùm ex præfato intestinorum vicio alvo suppressâ contenta in intestinis per superiora immani vomitu rejiciuntur; vim expulsiuam ad ventriculum usquè fibrarum intestinalium, orbicularium præprimis, contractionem esse ex eo arguitur, quòd per intestinalem fistulam nihil nisi fibrarum harum expressione provolvatur. Quæ successiva tamen est nec simultanea sicut in vasis, eò quòd non repleatur integrè ductus intestinalis. Motuum horum series à parte dirigitur, à quâ motus incipere potuit. In statu consueto à ventriculo incipit motus ille, undè versùs anum per tractum intestinorum producit. In statu Iliaco ab obice è contrà, Ilei continente causâ, incipit, dirigitur proindè versùs ventriculum, in quem ab intestinis eructantur materies. Contractionum fibrarum intestinalium series solita motus peristalticus nominari solet. In passione igitur Iliacâ antiperistalticus ac inversus dicetur motus ille successivus. Quorum quidem motuum mechanica ratio ab illustrissimo Viro D. Ghirac Archiatrorum Comite, Universitatis hujus decore ac ornamento eruditè adeò ac perspicuè in eleganti Tractatu de Ileo demonstrata est, ut motus antiperistaltici existentia in Ileo ob oculos unicuique ponatur.

Ergò in passione Iliacâ pars intestini superior quandòque inferiorem subit vel vice-versâ; & indè sequitur antiperistalticus seu inversus intestinorum motus.



QUÆSTIO DECIMA.

An Convulsioni Laudanum?




Convulsio Græcis *Spasmos*, Celso distensio nervorum, est involuntaria, stabilis, obstinataque nimium muscutorum contractio. Cujus effectus, trunci ac membrorum tensiones, inflexiones, distorsiones, figuræ partium mutationes, canalium carneorum stricturæ, functionum impedimenta. Hinc convul-

siones universales, particulares, convulsiones aut græcis nominibus adhuc insignitæ, aut ab affectâ parte denominatæ. Convulsum organum est semper musculosa pars.

Corripiuntur muscoli Convulsione, aut cum contrahens causa solito vehementior fit, aut cum debilitatur distrahens & contrahens, fibræ enim corporis omnes se contrahere continuo nituntur. Contrahens causa vehementior fit imprimis, cum accedit impensius fluidum nerveum. Debilitatur causa distrahens, cum antagonistæ musculi resoluti sunt, aut debilitati, aut secti, aut corrupti. Quoties ergo fluidum nerveum in musculum aliquem impensius ac concitatè fluit, aut antagonistam parcius ac tardè subibit vel nullatenus, convellendus toties erit musculus, in quo nimirum respectivè uberius aderit fluidi nervei copia, sive hæc major quàm in statu naturali sive minor extiterit, modò tamen in illo penitus non langueat ejus appulsus; sic viribus resolutis partes interdum convelli observamus. Causæ tamen, quæ convulsioni locum frequentius præbent cæ sunt, quæ fluidi nervei influxum inæqualem, & ad partem determinatam concitatiores promonent. Quas inter (missis eis, quæ epilepsias excitant) præcipuæ sunt stimuli in parte quâpiam nerveâ sensuque exquisito donatâ impacti, fibrarumque ruptarum tendinearum aut nervearum integris adhuc connexarum retractiones mechanicæ. Quare acria quæcumque sive internè sive externè agentia ac vellicantia, instrumenta aliave corpora dura partibus tensis ac nerveis impacta, tum etiam puncturæ tendinum, partium nervearum ac valde tensorum inflammationes acutæ convulsionum causæ fient frequentissimæ. Ad curandam igitur convulsionem aut levandam saltem, fluidi nervei mitigandus sæpe impetus, aut æquabilior promovendus influxus. Quæ succedent, si causa auferatur stimulans aut divellens, aut relaxentur adeò fibrillæ nerveæ, ut nec vellicari, nec divelli vibratorie queant. Cum autem Laudani operâ universo systemati nerveo concilietur laxitas, partes laceffitæ nullam amplius percipient noxam, nec noxa quantula in iis utut remanens nervorum systema afficiet. Hinc pacatus fluidi nervei æquabilisque influxus. Hinc sopita Convulsio.

Ergo Convulsioni Laudanum.

QUÆSTIO



QUÆSTIO UNDECIMA.


An, & quâ causâ Phtisis pulmonaris sit hæreditaria?

MOrbi hæreditarii nuncupantur, quorum causæ aut dispositiones ad morbum contrahendum, à parentibus, qui iisdem fuere obnoxii, per generationis opus, in liberos transmittuntur. Duplex statuenda est morborum hæreditariorum species. Altera nimirum, in quâ cum partis alicujus determinatè afficiendæ nullo selectu nihil præter inquinamentum fluidorum communicatur proli. Sub eâ specie recensetis Veneream luem, scrophulas, scorbutum. Altera verò, in quâ speciatim organum aliquod labefactari contingit. In eam refundemus Arthritidem, Calculum urinarium, Epilepsiam, Claudicationem, Pulmonarem Phtisim. Si causas transmissionis labis à parentibus in liberos, quæ in eis morbum consimilem in determinatâ nimirum parte procreet, apud Auctores inquiras; si quæras, inquam, ab eis rationes mechanicas, quibus Arthritici Arthriticos, Epileptici Epilepticos, Calculosi Calculosos, Claudii Claudos, Phtisici Phtisicos progenerent, altum apud eos invenies silentium, nihilve expectationi tuæ respondens. Expendendum tamen hæc duntaxat, quòd Phtisis pulmonaris transmittatur ad liberos, morbum enim hunc hæreditarium esse tot adeò calamitates quotidie comprobant, ut à nemine prorsus illud in dubium revocetur. Et quidem ratio formalis hujusce Phtiseos in ulcere, quo Pulmones laborant, consistit; Ex quo quidem non tantum viscus hoc, sed & universum corpus contabescit cum tussi, sputo purulento, ac subinde cruentato, tum respirandi aliquâ molestiâ. Perpendendum itaque, quòd ex alterutro parentum ulcere, aut ulcerosâ pulmonum dispositione correpto fiat, ut quoque proles ulcere simili in posterum persæpè sit laboratura. Cui quidem inquisitioni incumbentes, animadvertemus. 10. Nisi fluido-

rum ministerio parentum labem in prolem migrare non posse, cum nihil præter fluida ab illis in eam deriveretur. 2°. Phthisicorum aut ad Phthisim proclivium fluida acrimoniâ insigni prædita esse. 3°. Nullum in corpore viscus acrimoniæ universim humoribus inustæ noxam pati magis solitum esse, quam pulmones. Nimirum, quòd pulmonum vasa (ut in Dissertatione nostrâ, *de Partibus solidis humani corporis*, demonstratum fuit) diastoles systolesque ampliores longè patiantur, quàm quæcumque corporis alia. Cum autem acrimonia fluida quæquæ mobilia efficiat & ad rarescendum valdè prona, à fluidis ejusmodi dilatanda ulteriùs, defatiganda præ aliis, ac labefactanda tandem pulmonum vasa quæquæ magis, consequens est; & quidem in eâ ratione, quâ vasorum pulmonarium oscillationes cæterorum vasorum ejusdem diametri oscillationibus magis extensæ sunt ac celeriores. Motus autem in vasorum tunicis vehementiores, plurimùm eis molesti ac perniciosi sunt, attenuantur enim tunicæ, tubique figura regularis immutatur sæpè, sic ut varicosa in vasis exurgat conformatio.

Jàm verò cum à parentibus Phthisicis, aut ad Phthisim dispositis, fluida susceperit embryo acrimoniâ insigni prædita, ab his impetuosius actis pulmonum ejus vascula quæque sensim, cæterisque corporis magis labefactanda erunt, attenuabuntur ergò, varicosas concipient conformationes, quibus fluidorum cursus per hujus visceris vasa minima expeditus, ut decet, non erit. Hinc temporis successu, ætatis vigore, rerumque sex nonnaturalium abusu etiam levi, vitia hæc pulmonum ingravescent. Hinc vasa in pulmonibus tenerrima; lymphatica in glandulas conglobatas contorta fluido obstructa, in tubercula mutata; hinc multiplici titulo haud expeditus per vascula pulmonum minima fluidorum transfluxus; cum debilitato vasculorum robore. Rumpentur ergò vel levi de causæ nonnulla, hæmoptysis succedet Phthiseos prænuntia; vel etiam clandestinè vascula nonnulla turgida inflammabuntur, partim disrumpentur, undè motus suppuratorius excitabitur, hinc ulcus, Phthisisque pulmonaris à parentibus concepta.

Ergò Phthisis pulmonaris hæreditaria est, easque ob causas jamjam assignatas.



QUÆSTIO DUODECIMA.

*An Scorbutus sit morbus novus, & equitatione potius
quàm medicamentis sanetur?*

Scorbutus Cachectiæ species est, cujus effectus præcipui sunt, gingivarum tumor, mollities, cruentatio, erosio; nigredo dentium, dolor, vacillatio, casus; oris foetor; maculæ in cruribus aliisque corporibus partibus, modò rubræ, nunc lividæ, nunc atræ, in pustulas nonnumquàm abeuntes; vibices; hæmorrhagiæ; capitis gravitas; vultûs intumescencia colorque plumbeus; dolores vagi; ventris tormina; præcordiorum gravitas; molestissimus anhelitus; crurum debilitas ac interdùm tumor; mira lassitudo. Utque Venerea lues sub aliorum morborum larvâ occultat se interdùm, ità & Scorbutus sub morborum aliorum specie nonnumquàm afficit. Hinc dysenterici, febres intermittentes, dolores Ischiadici, Arthritici, Paralises, Hydropes, Atrophici, morbi que alii causæ Scorbuticæ interdùm effectus.

In fluidis plurimarum particularum crassities, tenuiorum inopia, faldedo insignis aut ranciditas oleosa, mucilaginis prava imperfectaque cum sero mixtio Scorbuti causam exhibent. Cui excitandæ locum præbent temperamentum melancholicum, aër crassus & uliginosus, alimenta salita, aut fumo indurata, aqua putrida verminosa, mœror, tristitia, affectio hypocondriaca, febres intermittentes inveteratæ, vita torpida.

Morbus hic à linguâ Danicâ novum usitatumque nomen mutuans, videtur propterea nonnullis morbus novus. Eum tamen Priscis fuisse cognitum probant non tantùm nomina *Stomacace* ac *Scelotyrbe* huic morbo ab eis imposita, quæ satis morbi genium repræsentant, sed & morbi hujus descriptiones, quas apud *Hippocratem*, *Strabonem*, *Plinium*, *Marcellum*, *Avicennam*,

aliosque veteres accuratas satis reperire est, ut nullum alium morbum quàm Scorbutum per eas designari, nemo inficias ire possit.

Morbus ille accolis Septentrionalibus maritimis fortè ab omni ævo Endemius, ex quo navigationes longas molestasque inire inceptum, acerbius in eos sævit. Hinc rei novitate permoti homines. Ea enim morborum sæpe fors est, ut cum aliquà de causa plurimum increbruerint, animos hominum percellant, novique protinus æstimentur. Sic Tiberii Cæsaris temporibus colicum dolorem primum irrepisse existimarunt, ut testatur *Plinius*. Populi interea meridionales ac mediterranei immunes prorsus à Scorbutō haud existunt, licet minus ei obnoxii. Nautæ tamen quivis eo perindè afficiuntur.

Morbo huic debellando sufficit interdum diæta; mutatio victus nautas sola sæpe sanat. Sed & non desunt medicamina in hunc morbum adhibenda, inter quæ nonnulla velut specifica Antiscorbuticorum nomen per excellentiam sibi arrogarunt. Medicamina hæc vi pollent attenuante, obstructions reserante, motum intestinum fluidis vividiores conciliante, sales crassos à viscido extricante, ac per urinas eliminante, quibus quidem nominibus Scorbutica constitutio emendanda sit. Num verò equitatio quoque ad Scorbutum sanandum conducet? Ità sanè modò non invaluerit morbus. Melancholici namque Scorbutici interdum facti fuere, aut saltem Scorbutici melancholici sunt; equitando autem à cogitationibus melancholicis divertuntur ægri, succutiuntur viscera, liberantur ab infarctu, toti fluidorum moli conciliatur salutaris impetus, rectiusque procedunt digestiones; quibus de causis Scorbutus incipiens absque medicatione alià curari potest. At cum Scorbutus confirmatus est, fluida necessariò alteranda sunt, quò prava mutetur eorum crasis, id autem nisi medicaminum ope obtineri potest.

*Ergò Scorbutus morbus novus non est, nec equitatione
potius quàm medicamentis sanatur.*